nisi ꝙ possunt trãsire· sicut nec isti
murmurant nec inuidẽt qui eter-
nam felicitatẽ acceperũt· Sed si-
cut istud ꝯdicõnaliter intelligit
ac si diceret· si volunt transire nõ
possunt· ita ⁊ in hoc loco cũ cõdici-
one intelligitur· Quoniã si p̃mi
murmurarẽt aduersus patremfa-
milias ꝙ nouissimis ipsis par
fecisset Dñs ad instanciã eorum
querimoniã sic respondere posset
sequitur (At ille respõdens vni eo-
rum dixit Amice non facio tibi in-
iuriã· Nonne ex denario diurno
conuenisti mecum) Non enim ꝓ-
misi tibi cõformitatem meã (tol-
le qd̓ tuum est ⁊ vade) reddo enĩ
tibi scd̓m opus tuum (volo autẽ
⁊ huic nouissimo dare sicut ⁊ ti-
bi· an nõ licet michi facere quod
volo) quasi diceret· nõne potestas
iudicis est scd̓m iusticiã facere vel
misericordiã cui vult impendere·
(an oculus tuꝰ nequã est qꝛ ego
bonꝰ sũ) quasi diceret· nunqd̓ be-
nignitas mea est tibi occasio ne-
quicie· sequitur (Sic erũt nouissi-
mi p̃mi ⁊ p̃mi nouissimi) adapta-
cio est parabole· quasi diceret· Sic
dictum est p̃mi in labore erũt no-
uissimi in mercede· ⁊ qui p̃mi sũt
merito aliqñ p̃cedunt a nouissi-
mis· ⁊ nouissimi·i· viles ⁊ abiecti
in sceleribꝰ· aliqñ preueniẽt mei-
tis in principio iustiões Cris· iõ
p̃mos eẽ nouissimos futuros no-
uissimos primos dicit· nõ vt no-
uissimi digniores sint p̃mis· sed vt
ꝯseq̃nter ⁊ nulla sit int̓ differẽcia
vel tp̄is causa· ꝙ aũt dicit (multi
sunt vocati pauci vero electi) nõ ad
superiores ptinet· sed ad gẽtes quĩ i
ipsis gentibꝰ vocati sunt multi·
pauci eligẽdi· multi eĩ ad fidẽ vei-
unt· ad celeste enĩ gaudiũ pauci
pducũtur· pleriqꝫ enĩ deum voci-
bus consequũtur· moribꝰ autem
fugiunt ⁊c·

**De eodẽ b·ij· — B·xliij·:**

Quid hic statis tota die
ociosi Mat·xx· In hijs
verbis reprehẽdit dñs
pigros ⁊ ociosos· qui nec deo nec
ꝓxi̇s nec sibiipsis vtiles sũt Scie-
dum aũt ꝙ pigricia ⁊ ociũ vitan-
da sũt ꝓpt̓ multa· Primo qꝛ sacra
scriptura tales reprehẽdit Prou·
vi· Vade ad formicã o piger ⁊ ꝯ-
sidera vias eius ⁊ disce sapienciã
que tam̃ non habꝫ ducẽ cuius ex-
emplũ seq̃tur· nec p̃ceptorẽ cuiꝰ
verbo ad hoc doceat· nec pricipẽ a
quo puniat ꝓpter negligẽciam· q̃
õnia hõ habꝫ In estate sibi cibũ
cõgregat vt comedat in hyeme
Glosa· Si tam pusillum animal
principe carens racionis expers·
nec ducem habens ad posterum:
se puidit multo magis tu homo
ad ymaginem dei conditus ad vi-
dendum glam eiꝰ vocatus· xp̄m cõ-
ductorem habes ⁊ ducem· debes

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-534/0132
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG